Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1261

Quelle:
Copyright:

XIII. *fol. eod.* p. 2. *Vita beati philippi apoſtoli.* Initium: *Cum poſt aſcenſionem domini predicaſſet gentibus in ſcitia beatus philippus* &c. Geminam huic ἐπιτομὴν exhibent *Bollandiani* ad diem 1. *Maji p.* 11. quemadmodum omnibus tribus ſimilia apud *Mombritium cit.* invenias.

XIV. *fol.* 125. praevio tamen Indice *Incipit Gemma. De diuinis officijs per circulum Anni.* Ut ad *Cod.* DCCXCI. obſervavimus, *Honorii Auguſtodun.* eſt. Praeit Epiſtola Solitariorum: *Agmen in caſtris ęterni regis* &c. ſed Opus in tractatione de Oratione Dominica ad illa verba: *cum nos filio eius uniti* — abrumpitur; quod dolendum, cum τα σωζομενα ab eleganti manu ſint.

CCCXXVII.

374 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 92. f. per duas columnas admodum nitide ſcriptus, rubricisque pernotatus eſt *Tractatus de Deo* ex intima Theologia ſcholaſtica petitus, cujus *Praefatio* excidit, unde nomen Autoris *Raymundi* e calce praeoccupare cogor. Initium ejus nunc eſt: *De prima diſtinctione. Diſtinctio iſta in duas partes eſt diuiſa. Prima eſt de principiis. Secunda eſt de regulis. Principia enim ſunt XVIII. videlicet. bonitas. Magnitudo. Eternitas. Poteſtas. Intellectus* &c. Quo loco habita fuerint Autoris ſubtilitatibus *Ariſtotelicis* penitus innutriti aevo linguarum praeſidia, liquet *fol.* 87. ubi de *Senſu Autoritatis* tanquam *genere* agens *quatuor* illi *ſpecies* ſubjicit, videlicet *Litteram, Allegoriam, Tropologiam* et *Anagogiam* et addit: *Et quia iſta Vocabula ſunt Greca et barbara, impediunt linguam latinam. Vnde propter hoc volumus venari iſtas ſpecies quatuor modis. vt euitemus confuſionem vmbram et ſenſum enigmatum grecorum vt ad clarum ſpiritum latinorum veniamus.* Itaque vocabula *Fundamentum, paries, tectum, habitacio* ſubſtituit. De Libro ſuo ita finit: *Qua de cauſa correctioni ipſum ſubmitto romanę eccleſię ſacroſanctę tamquam catholicus chriſtianus.* Additur literis grandiuſculis: *Ad laudem et honorem Domini noſtri ihesu criſti Et beate Marie ſemper Virginis matris eius. eciam angelorum et ſanctorum omnium paradiſi. Factus eſt Liber iſte quibus ipſum offero et comendo et ipſum per conſequens Patri ſanctiſſimo domino Clementi V°. Et venerabiliſſimis dominis Cardinalibus recomendo. Et excellentiſſimo phylippo francorum Regi Domino vna cum clericorum pariſiencium reuerendiſſima facultate. Supplicando prout poſſum quatenus videant librum iſtum et ipſum promoueant multiplicent et exaltent. quia dei factus eſt ad honorem. Finiuit Raymundus librum iſtum diuina gracia adjuuante apud montepeſſulanum in Menſe May. Milleſimo Treſcenteſimo 8°. Incarnacionis domini noſtri ihesu chriſti. Deo Gratias. Amen.* Eſt hic famoſus ille *Raymundus Lullus Majoricenſis* tertii Ord. *Franciſc.*